

Animadvertere hic juvat, quod non raro difficultas oritur ex intellectione Decretorum, quæ non omnibus, ut par est, pervia censetur; quorum consonantia non facile ab omnibus reperitur; et ex quibus non omnes eruere valent principia pro applicatione legis liturgicæ ad singulos casus; eo vel magis quod facta exponi soleant brevissima synoptica ratione. Genuina Decretorum mens determinanda et haurienda sæpius esset ex fontibus, seu præparatoriis scripturis, seu votis, quæ pro decisionibus in Congregatione distribuuntur et leguntur, et in quibus controversiæ exponuntur, quæstionum status cum adjunctis explicantur, rationum momenta adducuntur, et ipsa dubia proponuntur solvenda. Verum hæc documenta plerumque desunt, et in Collectione Decretorum nonnisi pro paucis Decretis reperiuntur. Uti notatum fuit in responso ad Q. 11, hæc Vota et Suffragia eruditissima proponuntur in volumine quarto recentioris editionis Decretorum, ad instar Appendicis ad Collectionem. — Perspicax liturgicus prudentem aptitudinem acquirere studebit, ad recte judicandum, et valorem principiorum et legum juste æstimandum.

ARTICULUS III

De diversis Liturgiis quæ hodie apud Catholicos in usu sunt

Q. 15. *Indica diversas quæ hodiedum in usu sunt Catholicas Liturgias.*

R. Apostoli a Christo Domino edocti, accepto Spiritu sancto, SS. Sacrificium offerebant secundum exemplar a Magistro acceptum, stabilientes ubique gentium eundem cultum, eandem Liturgiam. Hæc Apostolorum Liturgia tribus prioribus sæculis immutata remansit, et quoad essentiam conservata nobis est in Libris II et VIII Constitutionum Apostolicarum communiterque nominatur **Liturgia Clementina**.

Verum, uti gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus religionis cultumque divinum diversis postea usi sunt institutis, quæ, salva Christianæ fidei integritate, vix possent ab eis vel omitti, vel auferre. Propterea decursu temporis, sæculo præsertim quarto, in diversis regionibus varii efformati fuerunt, et etiam nunc remanent ritus, quibus Officia divina persolvuntur et Sacrificium offertur. Ad hæc scribebat Pius IX in Constitutione *Romani Pontificis*, 6 Januarii 1862 :

« Fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus imo major in Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. » Et in Litteris Apostolicis ad Orientales, 6 Januarii 1848 : « Omnino sartas tectas habebimus peculiâres vestras Catholicas Liturgias, quas plurimi sane facimus, licet illæ nonnullis in rebus a Liturgia ecclesiarum latinarum diversæ sint. Enimvero Liturgiæ ipsæ vestræ in pretio pariter habitæ fuerunt a Prædecessoribus Nostris, utpote quæ et commendantur venerabili antiquitate suæ originis et conscriptæ sunt linguis, quas Apostoli aut Patres adhibuerunt, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur. »

Quæ Catholicæ Liturgiæ hodiedum adhuc in usu sunt, generatim distinguuntur **Orientales** et **Occidentales**, et sequentes enumerantur :

A. **LITURGIÆ ORIENTALES**, quæ originem ducunt ex antiquissimis Liturgiis Apostolicis tribus, Sancti Petri scilicet, Antiochiæ instituta; Sancti Marci, Alexandriæ observata; et Sancti Jacobi, Hierosolymis adhibita :

1° **Liturgia Græcorum**, quæ Sanctos Basilium et Joannem Chrysostomum sæculo quarto reformatores primitivæ S. Jacobi Liturgiæ habuit. Distinguuntur in ea :

a) Ritus Græcus purus, qui non habet hierarchiam constitutam; qui eum sequuntur sunt sub jurisdictione duorum Delegatorum Apostolicorum qui resident Athenis et Constantinopoli. Italo-Græci, in Italia, Sicilia et Corsica sunt sub jurisdictione Ordinariorum ritus Latini.

b) Ritus Græco-Rumenus, in Austria-Hungaria usitatus; habens sedem metropolitanam unam cum tribus suffraganeis.

c) Ritus Græco-Ruthenus, in Austria-Hungaria; habens sedem metropolitanam unam Leopoli (Lemberg), in Galicia, et sex Episcoporum sedes; præterea sunt in Russia ejusdem ritus tres Episcoporum sedes.

d) Ritus Græco-Bulgarus, in Turchia Europea; pro

istius ritus Catholicis erexit Leo XIII duos Vicariatus Apostolicos, in Thracia unum, in Macedonia alterum; habent Episcopos proprii ritus, sed titulares.

e) Ritus Græco-Melchitus, in Asia, Patriarcham habens Antiochiæ, tres Archiepiscopos, et novem Episcopos.

2° *Liturgia Syrorum*, in Asia, quæ videtur esse Liturgia Antiochena S. Petri e græco in syriacum translata sermonem. Distinguuntur in ea:

a) Ritus Syrus, Patriarcham habens Antiochiæ, tres Archiepiscopos, et sex Episcopos.

b) Ritus Syro-Chaldæus, conversis Nestorianis primum concessus, Patriarcham habens Babyloniam, duos Archiepiscopos, et decem Episcopos.

c) Ritus Syro-Maronitus, Patriarcham habens Antiochiæ, sex Archiepiscopos, et tres Episcopos.

d) Ritus Syro-Sorianus seu Malabaricus; iste ritus non habet propriam hierarchiam constitutam, sed Catholici sunt sub jurisdictione trium Vicariorum Apostolicorum ejusdem ritus.

3° *Liturgia Armenorum*, quæ majorem suarum partem a Liturgiis Græcis mutuavit; habens Patriarcham in Ciliciæ Asiæ, et sedes sexdecim in Asia, unam in Africa (Alexandriæ), et duas in Europa, nempe unam in Russia (Artuin), et alteram Leopoli (Lemberg) in Austria-Hungaria.

4° *Liturgia Coptorum*, quam sequuntur Catholici degentes in Ægypto et in Abyssinia. Distinguitur:

a) Copto-Ægyptiana, quæ est S. Marci Alexandrina Liturgia in coptum sermonem sæculo V translata; hæc habet, ab anno 1895, constitutam a Summo Pontifice Leone XIII hierarchiam, scilicet sedem patriarchalem Alexandriæ, et duas sedes Episcoporum.

b) Copto-Æthiopica, seu abyssina, e pluribus Liturgiis particularibus conflata, et in linguam Æthiopicam, quæ tamen a populari diversa est, translata; qui eam sequuntur sunt sub jurisdictione Vicarii Apostolici, qui est Episcopus titularis ritus Latini, et residet in Abyssinia.

(Cfr. La Gerarchia cattolica per l'anno 1903. Notionem brevem Rituum Orientalium, eorumque diversitatis a Liturgia Latina in præcipuis functionibus, vide in

Ephemeride: *L'ami du Clergé*. Langres. XVII, 1895, pag. 922 et sqq.; et XIX, 1897, pag. 257 et sqq.)

B. LITURGIÆ OCCIDENTALES. Tres hodie existunt:

1° *Liturgia Romana*, a S. Petro Apostolorum Principe primum tradita, paulatim ad hodiernam suam formam deducta et correcta, per totum orbem, Orientales de quibus supra sedes si excipiantur, diffusa, ritus et cæremonias et libros servat qui in præcedentibus articulis sunt indicati.

Ritus Latinus, uti consueto vocatur, numerat (anno 1903) Sedes Patriarchales 8, Archiepiscopales 177, Episcopales 732, simul Sedes 917, quæ omnes sunt residentiales, hoc est, in quarum diocesisibus residere tenentur qui eis sunt præpositi.

Præterea pro regimine regionum in quibus hierarchia nondum est ad modum residentiarum instituta, habentur:

1° Vicariatus Apostolici circiter 130; qui eis præpositi sunt, paucis exceptis, Episcopi sunt, sed vocantur Titulares, decorati nempe Titulo Ecclesiæ, seu Sedis quæ antiquitus residentialis, hodie in partibus infidelium reperitur;

2° Præfecturæ Apostolicæ circiter 50; qui eis præsent, generatim non sunt Episcopali dignitate insigniti.

Insuper numerantur Sedes nullius Dioceseos 18, pleræque Abbatiales.

Addere juvat, præter Episcopos residentiales et Vicarios Apostolicos etiam numerari Episcopos Titulares circiter 200; qui plerumque jurisdictione propria non gaudent, sed aut in Curia Romana dignitate et officio funguntur; aut designati sunt tamquam coadjutores, auxiliarii, suffraganei, etc., Episcoporum residentialium; aut simpliciter caractere Episcopali condecorati sunt. Titulares vocantur, quia, ut supra jam dictum fuit, titulum tantum et non jurisdictionem habent Sedium quæ hodie in partibus infidelium exstant, et in quibus ad residentiam non tenentur. (Cfr. La Gerarchia Cattolica per l'anno 1903.)

In Romana Liturgia distinguitur *Liturgia Monastica*,

quam sequuntur monachi Benedictini, Carthusiani et Cistercienses. Proprios suos ritus habent etiam alii Ordines Regularium; ex. gr., Dominicani, Præmonstratenses, Carmelitæ, etc. — Originem habent istorum Liturgiæ a Romana, sed prolixiora plerumque induxerunt Officia. Sicuti a Romana differunt, ita et inter ipsas non minor habetur varietas.

2° *Liturgia Ambrosiana*, seu *Mediolanensis*, quam S. Ambrosius vel instituit, vel adauxit, vel melius ordinavit, in minoris momenti ritibus et in rituum ordine tantum a Romana differt. Servatur hodieum ex privilegio in pluribus ecclesiis Diœcesis Mediolanensis. Ad ejusdem Liturgiæ integritatem multum adlaboravit S. Carolus Borromæus, Archiepiscopus Mediolanensis. — Quædam insuper Ecclesiæ vicinarum Diœcesium etiam hoc ritu Ambrosiano utuntur.

3° *Liturgia Mozarabica*. Circa sæculum quintum in Hispaniis specialis obtinuit liturgicus ordo, habens mixtos Græci Ritus usus cum Romano primitivo Ritu, illuc ex Oriente a Gothis introductus, unde primum Gothica Liturgia hæc dicta fuit; deinceps vero, cum dominarentur sæculo octavo Arabes in Hispania, Liturgia Mozarabica fuit appellata, eo quod Christiani inter Arabes degentes Mozarabes vocabantur, a voce Arabica quæ significat « Arabum consuetudines sequentes. » Riturum Mozarabicum abolevit Romanumque in Hispania restituit S. Gregorius VII († 1085). Ne tamen tantæ vetustatis monumentum penitus intercideret, concessum fuit, ut in uno sacello Ecclesiæ Metropolitanæ Toletanæ, et in sex Ecclesiis ejusdem civitatis, Officia divina peragerentur juxta hunc ritum, a Collegio tredecim sacerdotum a Cardinali Ximenes († 1517) instituto.

Hac Liturgia Mozarabica antiquior, et Orientalibus ritibus adhuc similior exstabat olim Liturgia Gallicana, quam suadente Romano Pontifice, abolevit præsertim Carolus Magnus, cujusque nullibi exinde remansit in aliqua ecclesia vestigium. Plura de Liturgia Gallicana vide apud L. Duchesne, in opere: *Origines du culte chrétien*, 1 vol. Paris. 1889.

NOTA. Ecclesia Lugdunensis, antiquitate et dignitate in Gal-

liis præstantissima, proprios ritus accepisse fertur a suo Præsule S. Ireneo, discipulo S. Polycarpi, qui et ipse S. Joannis discipulus et ab eo Smyrnæ Episcopus fuerat ordinatus. Hos proprios ritus a priscis temporibus fideliter tenuit usque ad tempora Caroli Magni, quando Liturgiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ amplexata fuit, nonnullis tantummodo retentis, de ipsius Apostolicæ Sedis assensu, ritibus et consuetudinibus, quibus clerus populusque fidelis firmiter adhærebant; eosque sartos integrosque in sua legitima possessione retinere potuit, quando S. Pius V, anno 1570, Missale Romanum edidit, aliis interdictis et aboletis (cfr. Q. 72). Ast sæculo XVIII Missale hujusmodi permutatatum fuit.

Per Decretum 1 Maji 1902, S. Rituum Congregatio concessit et approbavit novam editionem Missalis Romani-Lugdunen., cum Rubricis peculiaribus, servatis nempe ex vetusta Lugdunensis Ecclesiæ Liturgia ritibus et consuetudinibus Romanæ Liturgiæ consonis et probatis; et Summus Pontifex Leo XIII indulsit, ut typis edi et ab universo clero Lugdunensis Archidiœceseos in posterum adhiberi valeat « Missale Romanum in quo antiqui ritus Lugdunenses servantur, Apostolicæ Sedis auctoritate recognitum et probatum. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 220.)

Concessio hæc momenti satis magni visa fuit ut hic notetur.

Caritatis spiritu excitati, Summi Pontifices hos omnes ritus non modo non improbandos, sed vero etiam observandos ac retinendos censuerunt. Noverunt siquidem « immaculatam Christi sponsam mira quadam varietate distingui, quæ non officiat unitati; Ecclesiam scilicet nullis regionum terminis definitam omnes complecti populos, nationes, gentes, quæ fidei unitate et consensione coalescant, diversæ licet moribus, linguis ac ritibus, quos tamen omnium mater et magistra Romana probavit Ecclesia. » (Ex Allocutione Consistoriali Pii IX, die 19 Decembris 1853.)

Quinque sunt totius Liturgiæ materiæ proponendæ Tractatus.

- 1° Tractatus de Officio divino seu de Horis Canonicis.
- 2° Tractatus de Rubricis Missalis Romani.
- 3° Tractatus de Celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii.
- 4° Tractatus de administratione Sacramentorum, et de Sacramentalibus.
- 5° Cæremoniale, seu Manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas.

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE OFFICIO DIVINO SEU DE HORIS CANONICIS

Conspectus materiæ

Tota materia de Officio divino quatuor absolvitur partibus.

In prima parte agitur de Officii divini nominibus, origine et elementis.

In secunda dicitur de Breviario Romano ejusque præludiis.

In tertia solvuntur Quæstiones in Rubricas generales Breviarii.

In quarta proponuntur Cæremoniæ servandæ, præsertim cum Officium divinum solemniter cantatur.

PARS PRIMA

DE OFFICII DIVINI NOMINIBUS, ORIGINE ET PARTIBUS

CAPUT I

De nomine et origine Officii divini

Q. 16. *Quid est Officium divinum?*

R. Officium divinum est publica principalis oratio, quæ ab Ecclesiæ ministris nomine totius cœtus fidelium quotidie funditur.

Dicitur **Officium**, scilicet debitum obsequium, seu tributum, seu pensum; — **divinum**, vel quia a personis Deo dicatis persolvitur: propter Deum enim laborem istum sanctum subimus, tamquam homines servituti Ejus devoti; vel quia ejus finis et medium est laus, et gloria supremæ divinæ Majestatis.